

primis cum de his taceat Scriptura. Plurima, quæ jam adducta sunt, absque ullo fundamento & ratione dicuntur, & propterea eadem facilitate, quæ asseruntur, à nobis rejiciuntur. Quod autem numerum nepotum Noachi concernit, ubi Ebraei 70, Græci & Latini 72 statuunt, nemo inde bonam consequentiam probabit, quod etiam totidem populi sive gentes fuerint. Nam nemo potest efficere familiam, gentem, vel posteritatem à se denominatam & propagatam nisi per generationem alicujus sui filii. Jam verò quomodo pater hanc, & filius aliam effecisset gentem, aut pater potuisset constituere peculiarem familiam? Et hoc pacto decem patres ex 70 vel 72 numero auferendi essent, ubi tum 60 vel 62 familiarum tantum supererunt.

§. 36. Adde, si divisio Lingvarum in annum nativitatis Peleg incidit, (quod infra probabimus) sanè hic, qui major & ætate prior fratre suo Jochan fuit, cum fratre ejusque XV filiis fuerit eximendus. Alia non adducimus, plura videri possunt apud Rivetum Comment. in cap. XI. Genes. Exerc. 68. & Pererium Lib. 15. & 16. qui fuse & eruditè de his omnibus egerunt. Conf. etiam Buxt. l. c. diss. 2. Bochart. Geograph. S. Part. I. Hotting. Lib. I. Smegm. Orient. cap. 4. Leusden. Philol. Ebr. diss. 19.

§. 37. *Occasionem* confusione Lingvarum dedit *turris Babylonica edificatio*, quæ Deus, ob summam eorum superbiam, provocatus, gravissimam & justissimam hæc poenam ipsos punivit. Equidem in ipsa fabricatione non consistebat peccatum, sed in eo, quod non legitimum intenderint finem. Quapropter hi fabricatores ab omni peccato in hoc opere absolvendi non sunt, ut quidam volunt, inter quos est Christianis præprimis est Alphonsus Tostatus, ex Ebraeis Aben Ezra & ex parte R. Levi Gerson. Nam non ædificabant templum, prout illi contendunt, ut Deum illic colerent, multò minus altare, super quo sacrificia & preces offerrent, aut ut in turri illa tuti essent contra vim aquarum, si fortè novum diluvium iterum terram inundaret, sicut sentit Josephus; notum enim iis erat fœdus, quod Deus pepigerat cum Noacho ejusque posteris: nec ædificabant aliis de causis, quas illi adducunt, qui eos ab omni peccato immunes esse volunt, quæ videri possunt in Tanchuma, sectione מן, apud Abarbanelem, R. Bechai & alios: sed ut nomen sibi compararent & ne dispergerentur, ut Sacer inquit Codex.

§. 38. Quod autem in hoc ipso gravissimè peccarint, apparet quoque ex processu Dei Judiciali, contra ipsos instituto, qui Gen. XI. describitur, & ex poenis singularibus extraordinariis, lingvarum scilicet confusione & popu-